



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Excessus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

is studium rerum plurimarum, & mutabilitas, & inconstantia, ut modo hoc, modo illud appetens hinc gestiunt paribus colludere, temereque iras colligunt atque ponunt, & ut Horatius ait, *mutantur in horas*. Mox hominem sextodecimo ætatis anno in veneris ditionem devenire asserunt. Ad hunc usque annorum numerum & Servius Tul. & Terentius Varro pueritiam protraxere. Nam Rex in Institutionibus suis pueros ad sextumdecimum usque ætatis annum appellavit, ad quintumdecimum Varro Juniores ille à sextodecimo, ad sextum & quadragesimum usque dicit, adolefcentes hic ad trigésimum usque. Quod reliquum est ætatis apud illum seniores habentur. Apud Varronem à trigesimo ad quintum & quadragesimum, juniores, inde seniores, ac demum senes appellantur. Diversa hæc aliquantulum ætatis descriptio apud Pythagoram, qui vitam hominis quatuor ætatibus divisit, viginti unicuique annos impertiens: pueritiæ: adolescentiæ, juventuti quam Latini virilitatem potius appellarunt, ac senectæ demum: quas totidem anni temporibus æquiparavit, ut suo loco singula tractavimus.

EXCESSUS. CAP. XXXI.

Sedecim pedibus superare benedicendo ornatores.

PRæterea sciendum est, hunc quoque numerum ex eorum esse classe, qui multitudinem, excessumve significant. Cum enim dicimus sedecim pedibus superare, intelligimus maximo excedere intervallo. Usurpatum ab Aristide, qui Periclem dixit *ἐκκαίδεκα πόντων αἰρήνας τὸς ῥήτορας ἐν τοῖς λόγοις*, Ab Eupoli, ut Bruto ostendit Tullius,

XX. CAP. XXXII.

Signum numerum XX. & XXXIII.

Cum vero xx. significare vellet, pollicarem unguem infimæ indicis suffragini (ut hoc proreutar vocabulo) adprimebant: ubi scilicet index ab infami incipit separari. Beda vero, cuius codicem in damno esse suspicor: non enim adduci possum virum tam eruditum ita scripsisse, ut in infamem hieroglyphicam ejusmodi admisceret, quippe qui apud eum scriptum legerim, impudici summitatem inter nodos indicis & pollicis arête figendam esse, quod si quis facere meditetur, id sublequetur incommodum, ut neque quo pacto possis tria & viginti demonstrare, neque unum de triginta representare, & alia multa ejusmodi: cum in xxxiii. ostendendis tres illi inferiores digiti ac cilius contracti, lineæ, quæ palmæ ejusdem flexu media fit, ita applicandi sint, ut trium graduum speciem præ se ferant. In novem vero & viginti notandis, iidem digiti quantum exporrigi possunt, ad palmæ usque radicem apprimantur. Quare necesse est decadas omnes, indicis & pollicis tantum gestulationibus explicari, nullo eorum in societatem admisso digito, qui partem eam quæ Numerus vocatur, indicent. Ac ne quis autoritate cujuspiam decipiatur, Erasmus ille multificus, qui scholiis in Hieronymum ad Jovinianum, ubi de virginitatis agitur hieroglyphico per coronam expresso, inepta quædam somniaverat, quæ nemo unquam eruditorum cogitasset: cum errorem mox recognovisset, dum cognitora, ut ipse dicit, traditurum se profiteretur, loco hoc impegit in Bedam, imo in vitiatum Bedæ codicem. Eandem jacuram fecit in quinquagenarii nota, cum apud Bedam scriptum sit corruptissimè de *ε* Græcæ literæ similitudine, quod loco suo, suæ dabitur luci.

Erasmus sua emendat.

VOT. XX. CAP. XXXIII.

Utræ pretium mihi videtur, anteaquam vicena hæc amittam, quid sibi velint notæ vot. xx. in m. Omnis & aris, vel, ut vulgus ait, triumphalibus arcubus, explicemus. Dicimus itaque fieri solum id in salutis augurium, cum scilicet S. P. Q. R. vovebat hæc vel illa sacrificia se laturos, ludosve celebraturos, aut ædes dedicaturos, si præscriptio annorum spatio Respub. in eodem statu permanisset, quo tunc florebat cum vota suscipiebant. Hinc apud Cornelium Tacitum legas, salutis augurium quinque & viginti annis omisum repeti, ac deinde continuari placuisse Claudio Imperatori. Fuisse vero salutis augurium in hunc modum, ait Dion, ut si Deus permittat, salutem populo poscerent: quasi ne salutem quidem à diis petere fas sit, nisi prius hoc ipsum dii concesserint. Observabatur autem quotannis dies una, in qua nullus ad bellum exercitus proficere poterat, nemo contra hostem se pararet, nemo pugnaret, quod in bellis civilibus haudquaquam observari poterat.